



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XLII. De Baptismo Et Eius Effectu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

In Capitulo decimo quarto denique statuitur in illos Sacerdotes pœna, qui in pane fermentato, si Sacerdos sit Latinus, in

calice ligneo, sine lumine, & aqua non admixta vino &c. præsumptuosè celebrat &c.

## TITULUS XLII.

## DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU.



In Capitulo primo dicitur non sufficere ad valorem Baptismi, ter immersum fuisse baptizandum, formam tamen legitimam non fuisse pronuntiatam.

In Capitulo secundo agitur de Baptismo sub conditione administrando, si probabile dubium sit de collato olim validè Baptismo.

In Capitulo tertio agitur de effectu Baptismi; etiam in eo casu, quo quis violenter ad Baptismum trahitur; aut in eo casu, quo quis nullo modo consentit, sive deinde in somno, sive amentia Baptismum suscipiat.

In Capitulo quarto dicitur, quod nemo possit seipsum baptizare, etiam in caliditate.

In Capitulo quinto asserit Innocentius III. parvulos illos non esse baptizatos, quos ob defectum aquæ in capite & pedibus inter scapulas, salivæ asperzione, ministrant simplices aliqui.

In sexto denique Capitulo prohibet Innocentius III. in Concilio Lateranensi sub pœna excommunicationis & suspensionis, ne Græci reputent altaria inquinata, in quibus latini Sacerdotes celebrant, & nisi laventur, ad sacrificandum violata, & ne baptizatos à Latinis, rebaptizare presumant.

## TITVLVS XLIII.

## DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.



In primo Capitulo asseritur, Presbyterum, qui post sui ordinationem se baptizatum non esse, deprehendit, baptizandum, & iterum ordinandum esse, vel si ordinari nolit, ut Laicum manere, & matrimonium validè contrahere posse; tum quod Baptismus prima sit Sacramentorum janua, tum quod nullo impedimento dirimente matrimonium, in tali casu nulliter factæ ordinationis, teneatur; ob votum tamen simplex castitatis,

quod fecisse censetur, suscipiendo Presbyteratum, licitè non contrahet.

In secundo Capitulo dicitur, quod etiam, qui non est baptizatus (Baptismo Fluminis scilicet) salvari possit, si in fide sanctæ Matris Ecclesiæ, & Confessione Nominis Christi in Charitate decesserit, ob Baptismum Fluminis, qui ad salutem in tali casu illis sufficit.

In tertio Capitulo denique habetur, quod non baptizatus (Baptismo Fluminis) ritè baptizari debeat, & post longiorum disputationem, utrùm ad Ordines, quos